

Nulla autem lege praecipitur ut homo labore suo comparet sibi amplissimam illam rerum utilium copiam per quam frui possit iis commodis quae tantum in societatibus valde exultis, plurimum evoluto materiali progressu, reperiri possunt. Tanta enim virium intensio ad comparanda ea quae vitae convenienter ducendae minime necessaria sunt, nimis ardua est quam ut praecipatur; eo vel magis quod vehemens temporarium commodorum prosecutio facile hominem a supernaturali fine prosequendo avocet.

Iis igitur qui nulla victus quaerendi necessitate adstringuntur, puta quia in ampla fortunarum condicione nati sunt vel ab aliis benigne aluntur, labor non praecipitur nisi quatenus necessarius est ad alia officia implenda, puta pietatis, caritatis, status propria, et praesertim ad vitanda peccata quae ex otio nasci primum est. Quam facile ex otio vitia pullulent, cotidiana experientia animarum comprobatur, et testatur Ecclesiasticus (XXXIII, 29): "Multam malitiam docuit otiositas." Manifestum est otio vitando sufficere quamlibet occupationem, sive corporalem, sive spiritualem, sive utilem aliis, sive inutilem. Attamen, si vita fere integra, vel maxima illius pars duceretur in occupationibus mere voluptuariis animus plurimum enervaretur et multis spiritualibus periculis obnoxius maneret: quemadmodum comprobatur vitiis quibus foedari solent fere quilibet homines ludis et recreationibus jugiter intenti.

Nullum vero speciale officium laborandi oritur e nuda ratione utilitatis quam singuli homines societati humanae, cujus membra sunt, afferre debeant. Verum quidem est: maxime optandum esse ut unusquisque tempus quod sibi a necessario labore et moderata quiete supersit, in utilitatem ceterorum impendat. Atque huc facit quod praclare docet Leo XIII (Encycl. cit.): "Quicumque majorem copiam honorum Dei munere accepit, sive corporis et externa sint, sive animi, ob hanc causam accepisse, ut ad perfectionem sui pariterque, velut minister providentiae divinae, ad utilitates adhibeat ceterorum." Verum haec declarant tantum finem a Deo intentum in majore honorum copia quibusdam concedenda, minime vero legem strictam, quae durissima foret, ut singuli quidquid temporis, virium etc. propriis necessitatibus supersit, in aliorum utilitatem conferre teneantur. Neque inutile societatis humanae membrum dici potest ullus homo qui varia officia erga Deum, proximum et seipsum implet: siquidem vitae recte ordinatae exemplis, meritis, orationibus etc. multiplicem utilitatem ceteris conciliat. Strictae obligationes, quae hominem tamquam societatis membrum constringunt, oriuntur e justitia legali seu sociali et caritate. Auctoritas enim civilis, ad quam pertinet singulos subditos in communem societatis finem dirigere, per leges multa determinat quae a singulis requiruntur ut com-

munis temporalis felicitas sufficienter procuretur, puta dum per tributa partem fructuum laboris sui conferunt, dum militia vel publicis muneribus funguntur, etc. Ubi sola caritas urget, applicandae sunt regulae generales de quibus dictum est n. 214 seqq.

Haec caritatis obligatio nostris diebus strictius urget quam praeteritis saeculis urgebat: nam, ob nefariam licentiam quae pessimis societatibus et scriptis tribuitur, multo major est necessitas spiritualis qua laborant integrae regiones, civium praesertim rudiorum classes, oppida, etc. Jamvero constans regula est: cum necessitate proximi crescere obligationem succurrendi in iis quibus facultas suppetit. Attamen plerumque hortationibus potius quam strictis praeceptis impellendi sunt ii qui tempore et dotibus abundant ut in bona opera, puta in spargendas bonas ephemerides, in fovendas societates catholicas etc. incumbant. Sat raro enim constabit singulorum operam necessariam et efficacem esse ad communia damna avertenda; saepe a gravi obligatione excusabit notabile incommodum quod in opera conferenda subeundum erit. (n. 217) Vehementer tamen hortandi sunt hujusmodi homines ut, ad vitanda pericula otii et dissipationis, potissimum in opera caritatis, in catholicas societates fovendas, in retundendos qua voce, qua scriptis impiorum conatus incumbant: nulla enim ratione efficacius quam operibus caritatis divinae gratiae copiam merebuntur animumque ad excelsiora attollent.

## CAPUT II.

## DE OCCISIONE MALEFACTORIS.

336. I. Extra casum necessariae defensionis (de quo dicitur cap. III), nemini licet occidere malefactorem etiam notorium, **absque publicae auctoritatis interventu**. Nam occisio illa ad salutem totius communitatis ordinatur, ideoque pertinet ad illos solos quibus committitur cura communitatis conservandae. (2. 2. q. 67. a 3) Insuper patet quot caedibus injustis et perturbationibus ortum daret potestas singulis attributa ad injurias suas, etiam nece, vindicandas. Hinc:

1<sup>o</sup> Omnino reprobanda vindicta popularis quae in quibusdam regionibus sub nomine "Lynch-law" aliquando exercetur. (Sabetti, n. 267)

2<sup>o</sup> Non licet marito uxorem aut patri filiam occidere in adulterio deprehensas. Ideo Alex. VII damnavit prop. 19<sup>am</sup>: "Non peccat maritus occidendo propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam." Idem dic de occidendo adultero, ut patet.

**II. Auctoritati publicae** licet occidere malefactorem, quatenus id ad salutem totius communitatis necessarium est. Id clare patet ex universa traditione christiana, quae id licitum reputavit. sicut et ipsa S. Script. licitum supponit, non tantum in republica Hebraeorum (Exod. XXII, 18 seqq.) sed et in Romano imperio. (Rom. XXIII, 4) Et ratio in promptu est: nam, sicut privatis licet vitam tueri etiam morte injusti aggressoris, ita et reipublicae concedatur oportet mortem intentare iis qui publicam tranquillitatem graviter adoriuntur et mitiore poena efficaciter compesci nequeunt. Aliqui, sed, ut videtur perperam, opinantur hanc necessitatem occidendi malefactores ad communitatis tranquillitatem in regionibus excultis jam evanuisse; generale tamen principium hic positum negare nefas est catholicis.

**367. III.** In occisione ex publica auctoritate per se servandus est **ordo juris**. Ad hunc requiruntur quattuor: reus, iudex, actor et crimen. Reo danda est plena facultas causam suam per se vel per alium idoneum tuendi; crimen autem debet esse ita grave ut, secundum leges, sit morte dignum, et manifestum vel ex certis testimoniis vel ex rei confessione. (Struggl, tr. 7. q. 3. n. 35) Hujus ordinis servandi ratio haec est: quod respublica non habet potestatem in vitam civium, nisi quatenus ipsi certo constat delictum. (Lugo, de Just. et J. disp. 37. n. 51) Insuper, ex jure naturae, actus *publicus* fieri debet ex scientia et auctoritate *publica*. Attamen, si crimen notorium esset et grave periculum, ex. gr. seditionis, ex ordine juridico plene servato immineret, liceret saltem principi supremo, ea omittere quae sine gravi incommodo communi fieri non possent. Hinc:

1º Princeps, etiam absolutus, nequit malefactorem occidere ex scientia mere privata, nisi id necessarium esset ad rempublicam a malo imminente tutandam. (Lugo, l. c.)

2º Nemini licet occidere etiam publicos grassatores nondum legitime damnatos, nisi in casu legitimae defensionis vel licentiae a principe datae unicuique eos occidendi. Talem licentiam seu proscriptionem (quae jam ab usu recessit) AA. communiter licitam reputabant, sed tantum in casu rarae et urgentis necessitatis. (Struggl, l. c. n. 36)

3º Satellites nequeunt occidere reum aufugientem, nisi iste armata manu resistat et de crimine capitali satis diffamatus sit, neque aliud medium eum capiendi suppetat, et tandem ut ab eo, si aufugiat, majora mala timeantur. (Struggl, l. c.) Attamen inferiores milites vel custodes qui reos damnatosve armis impetere jubentur, semper parere possunt, donec de mandati istius injustitia certo constet: quo casu, ita armis uti deberent ut nullatenus vel leviter tantum aufugientem vel resistentem laederent.

Semper autem, nisi graviora damna timeantur, reo occidendo concedendum est spatium poenitendi et sacramenta saltem necessaria recipiendi.

## CAPUT III.

## DE OCCISIONE INIQUI AGGRESSORIS.

**368. I.** Licitum est defendere seipsum contra iniquum aggressorem, etiamsi hujus mors ex ista defensione sequatur. Nihil enim tam naturale est quam vim vi repellere; maxima autem detrimenta sequerentur humanae societati, si scelerati impune possent quoslibet injuriis afficere. Quare, ob magnum bonum e defensione secuturum, permitti potest occisio aggressoris. (n. 14) Attamen illicitum foret excedere *moderamen inculpatae tutelae*, seu ullum nocumentum inferre proximo quod non sit necessarium ad proprium periculum propulsandum, aut occisionem proximi directe intendere. (2. 2. q. 64. a. 7)

**II.** Ut habeatur vera *defensio*, oportet ut agatur de malo inferendo et imminente. (D'Annib. II. n. 283) Hinc oportet:

1º Ut *malum nondum sit illatum*: qui enim malum jam illatum redderet, exerceret vindictam, quae, saltem in gravioribus (n. 228), auctoritati publicae reservatur. Attamen levior quaedam percussio saepe licita fiet ad novas aggressiones praevertendas. Hinc (S. Alph. n. 386) censet puellae non tantum permittendum, sed et consulendum esse, ut invasorem pudicitiae alapis, faste, etc. perculiat, ne iterum eam sollicitet.

2º Ut sit *certa* mala intentio aggressoris. Attamen, si alter aliquid facit unde rationabiliter mors timeatur et monitus non desistit, potest licite occidi, ex. gr. a milite excubias agente. (Lugo, de Just. et J. disp. 10. n. 152) Idem dicendum de fure *nocturno*, de quo vix cognosci poterit utrum sola bona fortunae an etiam vitam impetat.

3º Ut aggressio *aliquo modo incepta sit*, saltem moraliter, ex. gr. ut latro jam insidias mihi struxerit, licet nondum physice me invaserit: nam si physica invasio esset exspectanda, saepe jus defensionis inane fieret. Immo, in casu quodam rarissimo, in quo nulla alia ratione mors vitari posset, liceret occidere eum de quo certo constaret eum proxime vitae propriae insidiari, puta si uxor certo sciret maritum sibi venenum parasse vel pugionem sub lecto abscondisse ad ipsam in somno occidendam. (Lugo, l. c. n. 157; Struggl, l. c. n. 20) Sed regulariter non

licet praevenire aggressorem : siquidem id multis injuriis ortum daret, ob hallucinationis periculum. (S. Alph. n. 387)

**369. III.** Licet per mortem injusti invasoris tueri non tantum *vitam*, sed et *integritatem membrorum, pudicitiam, bona fortunae magni momenti*. Nam etiam de bonis fortunae, quae tamen minima sunt ex istis, id licere admittit communis sententia Theol. innixa S. Script. (Exod. XXII, 2) et Juri Canonico (6<sup>i</sup> Decr. l. 5. t. 11. c. 6). Ratio autem ob quam liceat tueri bona inferioris ordinis, etiam cum detrimento honorum ordinis superioris, assignatur a S. Alph. (n. 383) : quod "praeceptum caritatis non obligat praeferre bona altioris ordinis nisi quando proximus est in extrema necessitate, non vero quando ipse sponte se exponit mortis periculo. "

Nequit clare determinari quaenam censenda sint in hoc argumento bona fortunae magni momenti. Probabilius talia sunt si, pro facultatibus possidentis, magnum ei damnum furto infertur, vel si summa est *in se et respectu omnium notabilis*, qualem censebant multi veteres summam 32 scutorum seu fere 400 fr. monetae nostrae. (D'Annib. II. n. 383. nota 9) Damnata quidem est ab Innoc. XI prop. 31<sup>a</sup> : "Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. " Sed cum propositio id *regulariter* licere affirmaret, nequit ex damnatione concludi eam summam numquam sufficere, siquidem ex unius aurei ablatione grave damnum imminere potest pauperi. (Ball. P. n. 61)

Non licet autem occidere injustum *invasorem famae vel honoris*, ut omnes AA. hodierni docent, ex quo Alex. VII. damnavit prop. 18<sup>am</sup> : "Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare. " et Innoc. XI prop. 30<sup>am</sup> : "Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter haec ignominia vitari nequit. " Rationes sunt ; quod plerumque non deerit aliud medium vitandi ignominiam, puta recurrendo ad judices vel testes, et praesertim quod, cum honor et fama varie a variis pro suo affectu aestimentur, magnum periculum hallucinationis e tali defensione eruenda oriretur, caedes autem cum magno damno societatis humanae multiplicarentur, etiam ob aggressionem levissimas vel falso existimatas. (Ball. P. n. 72)

Similiter non licet occidere *furem rei parvi momenti* unice ad eam recuperandam. Sed rem hujusmodi potest dominus tueri contra furem, qui, si vim adhibet, poterit, ubi opus est, occidi : sic enim jam occiditur pro tuenda non tantum re quam fur appetit, sed ipsa persona domini quam aggreditur. (Ball. P. n. 65)

**370. IV.** Moderamen inculpatae tutelae excedunt (D'Annib. l. c.) :

1<sup>o</sup> Qui majus damnum inferunt quam defensio poscebat, ex. gr. occidendo quando vulnere inflicto malum arceri poterat.

2<sup>o</sup> Qui vim adhibent quando eam sine gravi incommodo omittere poterant. Ideo peccat qui furem occidit vel vulnerat, quando, per recursum ad judicem, facile bona recuperare potest : quod regulariter in regionibus nostris praesumendum est. Attamen, etiam quando fur rem ablatam jam in tuto posuit, si haec alia ratione recuperari nequiret, liceret eam per vim repetere, et si fur resisteret ac personae domini vim inferret, posset vulnerari vel occidi, ut injustus vitae vel membrorum aggressor. (S. Alph. n. 383) Peccat vero qui vim adhibet quando, sine magno incommodo, per fugam sibi consulere poterat. Dupliciter autem tale incommodum occurrere potest, nempe vel ob periculum cui se exponat is qui facilius occidi laedive possit si fugiat quam si resistat, vel e magna ignominia quae eidem ob talem fugam inuratur : quod ultimum regulariter non contingit nisi iis quibus armorum usus et professio est. (Lugo, l. c. n. 166)

V. Huic juri defensionis minime obstat (D'Annib. l. c.) :

1<sup>o</sup> Quod aggressor sit tantum materialiter injustus, puta ebrius, amens, etc. Nam jus meum ad eum occidendum non oritur ex ejus peccato, sed ex jure meo ad vitam meam defendendam.

2<sup>o</sup> Quod occasio data fuerit huic aggressioni injustae per culpam aliquam : haec enim injustitiam non tollit. Sic licet adultero se tueri cum moderamine inculpatae tutelae contra maritum qui eum occidere nititur.

VI. Quandocumque alicui jus se defendendi competit, licet pariter cui-libet, intra eosdem limites, eum in defensione juvare : id enim clare e caritatis natura deducitur. Quandonam exsurgat obligatio ad hanc opem praestandam, e principiis generalibus de eleemosyna datis erui potest. (n. 218) Attamen, quando agitur de defensione periculosa, et quae ad occisionem ipsius aggressoris procedat, raro aliquis ex *mera* caritate obligatur, ob magna incommoda quae talem defensionem fere necessario comitantur. Obligatio ista communiter ab AA. ponitur pro casu in quo innocens occidendus esset ebrius et in statu peccati mortalis, vel esset persona ad publicum bonum necessaria. Eadem crebrius oriri potest e justitia propter officium susceptum, puta magistratus, custodis, etc, vel e pietate, puta in parentibus erga liberos et vice versa. (S. Alph. n. 390 ; Ball. P. n. 79)